DEO OPTIMO MAX. 654

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA.

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis duodecimo
mensis Martii, anno Domini M. DCC. L.

M. LUDOVICO-MARIA POUSSE,
Censore Regio, Doctore Medico, Præside.

An tumoris Cancrosi *radicitùs ablati* regeneratio *rursùs Chirurgiæ tradenda?*

I.

CANCROSAM molem dixeris tumorem durum, inæqualem, diversæ figuræ, doloris sensu præditum, universi corporis partes glandulosas, mammarum imprimis afficientem. Diversos Carcinomatis agnosce gradus pro hujus diverso progressu atque majori mole. Incipiens seu nascens Carcinoma vix ciceris adæquat magnitudinem, raróque nisi contrectatione, aut compressione, aut divulsione doloris præbet sensum, tuncque occultus dicitur Cancer. Pro tumoris incremento, nervi, membranæ, vasa lymphatica, arteriæ, venæ, ultrà modum distensa dolorem creant molestum qui pro adauctâ mole, cutis distensione & dilaceratione summum cruciatûs immanis gradum assequitur, tuncque horrenda visu, naribusque pro tetro fœtore intolerabilis fit Carcinomatis aperti species. Ne vulneris simplicis aut ulceris indolem ex aperto Cancro speres. Oras sæpiùs recurvas, colorem lividum, Carnes emortuas, fungosas sanguine, aut sanie diffluentes promit tumoris figura Cancri fluviatilis æmula, undique sparsas mittendo radices è corneâ basi, quæ germen, enascentes. Cancri causam evolvere summum opus; eam tollere radicitùs non exiguus labor, quantumvis sagacis Medici consilio, quantumvis perito Chirurgo usà consentientibus committatur curatio.

II.

GLANDULARUM opus secernere est. Dum liquida debitam fluiditatem, solida idoneam elasticitatem servant, integrum viget secretionis opus: pro liquidorum viscidâ aut concretâ crasi, pro vasorum imminutâ vel adauctâ sive laxiori aut rigidiori elasticitate, glandularum infarctus fit & obstructio. Quænam fuerit utrorumvis vitii causa asserere arduum, quæ tamen qualis quantaque sit à rerum non naturalium abusu, nisi à nativo solidorum vitio repetenda; glandularum infarctûs obstructio soboles, quæ nisi resolutione aut suppuratione terminata, scirrhum parit. Scirrhus tumor durus renitens, doloris expers quem non rarò, maximè in visceribus in eodem statu constantem ad ultimum vitæ terminum in plerisque innoxiè observabis. Partium externarum scirrhum potiùs in Cancrum facessere quàm internarum constat experientiâ. A partium texturâ infirmiore, à vasorum minore diametro, à lentiore quàm in partibus intimis liquidorum motu scirrhum oriri & probabile est, & verisimile. De Cancri

genuinâ causâ tum veterum, tum chymicorum opinio nihil nisi verba, & utrorumque funditùs ruit systema quod effectus pro causâ statuit. Carcinomatis originem cognoscere cupis? Mechanismum evolve ex cujus violatis legibus Cancri causam & originem mox dignosces. Hujus causam aliam externam, aliam internam nemo nescit. Pro ictu vel casu, aut violentiori compressione glandulis mammarum inflictis, vasorum elater debilior diameterque sit minor quàm ut succo secernendo facilis pateat aditus, transitusque liber undè ejusdem succi mox fit stagnatio, concretio, induratio, quæ Cancri, ut aiunt, germen, ubi maximè pro liquido stagnanti sic intumescunt glandulæ & indurescunt, ut nervorum atque vasorum lymphaticorum propagines velut strangulatæ suo muneri exequendo impares factæ, molem constituant novam quæ pro sanguinis ad eam jugi appulsu & stagnatione, crescendo, partium vicinarum membranas & nervos distendit, hinc acutus doloris sensus, vigiliæ, febris, appetitûs prostratio, aliaque symptomata quæ graviora pro tumoris incremento, cutis distensione majori tandemque dilaceratione, quæ Cancri aperti complementum est. Cancrum igitur glandularum, vasorum lymphaticorum nervorumque compaginem in massam informem albicantem corneam, motûs expertem, immutatam agnosce. Non alias subit leges Cancrosus tumor ab internâ causâ progenitus: succi glanduloli stagnatio seu à laxiori, seu à rigidiori elasticitate vasorum, seu à viscidiori aut concretâ nimis liquidorum crasi glandulas infarciendo, pro succi stagnantis conditione earum structuram sensim mutat, undè Cancrosus tumor solâ Chirurgi manu curabilis.

III.

TUMORIS cujuscumque terminus vel resolutio, vel suppuratio, vel induratio. Qui arte aut ipsâmet naturâ resolvitur non sine periculo novi in parem nobiliorem decubitûs; hinc non immeritò suppuratio resolutioni anteponenda. Qui neque suppuratione, neque resolutione solvitur tumor, indurescit scirrhi aut scrophularum naturam induendo longo & tædioso remediorum apparatu, raròque sanabilis. Qui remediorum eludit vires, solius naturæ beneficio, legitimâ victûs ratione suffultæ committendus; aliàs medicamentorum vi exagitatus, Carcinomatis induet genium soli arti chirurgicæ tradendi. Duplici methodo Cancrosus tumor aufertur, caustico nempe aut ferro; caustico cujuscumque sint generis & energiæ, quantumvis horum vel obtusa vel temperata vis, ferrum præponendum. Doloris reverà minùs ferro creant, at sæpiùs renovant, febrem invehunt, liquidorum solvunt crasim, undè diarrhæa ut plurimùm lethalis; nervos sollicitant, adigunt in spasmum: curatio tandem diuturnior, & sæpissimè propter virium prostrationem deferenda. Ferrum reverà dolorem creat & acutum, sed breviori temporis spatio finiendum. Quânam methodo tumorem Cancrosum mammæ, verbi gratiâ, auferre debeat Chirurgus jam nulla hæsitandi ratio, veterum nec non quorumdam recentiorum ut potè crudeliori longioriqne jam obsoletâ methodo. Sic in mammæ excidendo Carcinomate se gerit Chirurgus; postquàm nullas appendices radices dictas interiùs divagantes, tumoremque suprà musculum pectoralem veluti fluctuantem observavit, ægrotantem in sedili collocat, brachium lateris affecti abducit retrorsùm & extendit ut suprà musculum pectoralem magis emineat tumoris moles & Basis; mox finistrâ manu apprehendit tumorem & attollit quem infrà basin dextrâ circoncidit scalpello paulò latiori, brachiumque ægrotantis ante operationem abducti mox jubet ad latus & antrorsùm abduci, ut faciliùs partibus relaxatis subtùs tumoris basin digitos immittendo quidquid corruptum, quidquid à glandularum nativâ indole alienum, quidquid fungosum, durum, & si quæ sint appensa stamina seu radices, ultrà quantùm potest harum propagines, digitis aut scalpello eximat; nec corpori cellulari, neque ipsimet musculi pectoralis membranæ parcendo. Operatione peractâ sanguinem aliquandiù fluere sinit, & uberiùs affluentem linteolis carptis & plumaceolis superpositis manu contentis, & graduali pressione cohibet, quæ si impar, aquâ aluminosâ plumaceolos intingit; tandem, si fuerit opus, vasis injicit ligaturam. Sanguine

cohibito plumaceolos linteolaque ficca imponit, ut superfluus sanguis & humiditas absumantur. Die sequenti, nisi plumaceoli nimium adhæserint, prior, quem vocant, tollitur apparatus, vulnusque uti simplex vulnus plumaceolis digestivo balsamico intinctis curatur, tandemque majori in his, in illis minori temporis spatio ad cicatricem ducitur. Quæ perfecta dici meretur nisi nova Carcinomatis succedat germinatio quam denuò Chirurgiæ tradere piaculum.

I V.

NOVI Carcinomatis nova germinatio latentis causæ effectus. Num à solidorum, num à fluidorum vitio? Utraque suis argumentis opinio constat, undè nova dubitandi ratio; at qui rem penitùs & absque præjudiciis inquiret aliquid ignotum & singulo individuo proprium fatebitur. At, inquies, Medici juris est rerum causas dignoscere, aliàs in praxi nullo fretus principio, nullo ductus filo, more cæci titubans deerrabit, solique fortunæ felicis casûs, si quis fuerit, tribuetur honos. Error aut superbia! Rerum causas non nisi ab effectibus noviſſe homini datum, è quibus suam agendi normam mutuatur. Singulo individuo quid proprium ineſſe quæcunque sensibus obvia satis apertè declarant. Undenam tanta homines inter vultûs, vocis, gestûs, animi pathematum diversitas atque discrepantia? Non solùm in externo habitu, eam diversitatem reperies; in interiori eandem observabis; hinc appetitûs circa alimenta varia diversitas. Cibus qui in hoc alimoniam suppeditat, in illo nauseam movet, in alio cathartici vices supplet & non rarò eadem quæ toxicum invehit symptomata. Ex medicamentorum usu & effectibus idem judicaveris. Radix Brasilienſis syſenteriæ remedium specificum, incassùm pluribus adhibetur, quam medicamenta aliis benè multis damnosa aut saltem inutilia feliciter curant. Cortex Peruvianus nunquam satis ad febres intermittentes curandas laudandum remedium, aliquando invito prudentis & in praxi versatiſſimi Medici consilio sine ullo felici eventu, imò nonnunquam cum febris exacerbatione usurpatur, quæ à medicamentis minoris energiæ, minusque febrium intermittentium naturæ accommodatis radicitùs solvitur. Quid tandem mirum quòd incassùm usurpetur hydrargirus cujus in lue venereâ radicitùs curandâ virtus ab omnibus practicis tanquam verum solumque remedium celebratur? Quot tamen hominum millia hujus remedii vires aut saltem inutiles experti quamvis ter quaterve vel ab exercitatiſſimis in hoc adhibendo remedio viris methodicè fuerit adhibitum? Undenam ea effectuum diversitas nisi à quâdam & individuali liquidorum crasi quam nec ratione, nec experientiâ nisi fortuitâ Medicus dignoscit. Non igitur mirum in carcinomatis *regeneratione*, nihil à cæteris effectibus diverſum quorum intimiores causas potiùs ex effectibus subodorari quàm dignoscere valet hominis sagacitas.

V.

CARCINOMA, forsan inquies, primitùs genitum non magis operationem Chirurgicam exigit quàm carcinoma renascens, cujus causa eadem, quæ ignota, propria individuo & inexpugnabilis, quod innuit Hippocrates aph. 38. sect. VI, *quibus cancri oculi fiunt non curare melius est, curati enim citò pereunt.* Carcinoma ab individuali liquidorum crasi vitiatâ exortum, iisdem symptomatis signisque stipatur quibus carcinoma à causa communi progenitum solùmque ab effectibus seu regeneratione suam, ignotam anteà profert indolem, proindeque in eo casu humanitati repugnat opem pluribus non solùm innoxiam sed & utilem denegare: at instas, harum nulla quibus excisum carcinoma convaluit, imò citò periit: & si quædam radicitùs curata, tumorem scirrhosum potiùs quàm cancrosum credas. Resque innumeris exemplis confirmatur. At quis asserere ausit tumorem excisum non fuisse ab individuali causâ natum? Quisnam de omnibus circumstantiis, seu ante operationem seu in ipsâmet operatione, seu post peractam satis monitus, utrum verbi gratiâ, ante operationem ægrotans diætam tenuem, humidam, dulcem partium phlogosi præcavendæ, idoneam observavit. Utrùm Chirurgus suum opus, ut par est, absolvere potuerit, utrum in vulneris curatione Chirurgus,

aut ipſamet ægrotans nihil peccaverit; utrùm tandèm poſt perductum ad cicatricem vulnus, longo temporis ſpatio de diætâ & medicamentis in tali caſu requiſitis religiosè Medici conſilio obtemperaverit? Scirrhus à carcinomatis mole nimiùm diſcrepat quàm ut practicis illudat. Scirrhoſus tumor glandularum induratarum vaſorumque cujuſlibet generis compago; Cancroſus, albicans cornea moles, nullius figuræ tenax, in quâ nec glandularum, nec vaſorum cujuſlibet generis rudimenta. Dubitas? Tumorem exciſum cultro anatomico ſeca, nihil aliud obſervabis. Innumeræ mulieres, aut pro rerum naturalium abuſu, aut aliâ quâvis de causâ periere. Quid inde? Num ideò quodvis carcinoma ſoli naturæ aut potiùs morti tradendum ineluctabili. Plures poſt genuinum carcinoma ferro exciſum ſecundâ utuntur valetudine, Medico ſatis ut, rebus ritè diſpoſitis, aliùs molis cancroſæ ſuadeat exciſionem, nihilque contrarium probet experientia: aliàs quot hominum millia inter immanes cruciatus perirent qui lithiaſi laborantes, Chirurgi repellerent manum, aliorum poſt operationem, defunctorum exemplo territi. Eſto; at, inquies, renaſcens carcinoma iiſdem ſtipatum ſymptomatis quibus primitùs exortum, cùm utriuſque eadem cauſa ſit & origo, eandem quoque curandi methodum, novam ideò operationem deſiderat. Chirurgicæ operationis cujuſlibet finis, morbi cauſæ ablatio vel ſaltem vitæ conſervatio. Neutrum verò in renaſcentis carcinomatis ſeu cauſticis, ſeu ferro ablatione ſperare licet, imò graviora inde ſymptomata, majus inde vitæ periculum. Cauſam morbi jam inexpugnabilis cognitam, aggrederis, ad quam debellandam media in uſum revocas quæ pro aliùs deinceps regerminationis metu multò quàm in primâ operatione graviora. Hinc præter dolorem operationis comitem, animi mœror, vigiliæ, febris, faſtidium, virium denique proſtratio, mortis præmaturæ prodromi.

Ergò tumoris Cancroſi *radicitùs ablati* regeneratio *non rursùs Chirurgiæ tradenda.*

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Julianus Buſſon.

M. Theodorus Baron, Artis Tinctoriæ, ut & rei Metallicæ Inquiſitor à Rege Præpoſitus.

M. Ludovicus-Hieronymus Coſnier.

M. Petrus Bercher.

M. Andreas Cantwel, Regiæ Societatis Londinenſis Socius & Chirurgiæ Profeſſor.

M. Ludovicus-Joannes le Thieullier, Regis Conſiliarius, in Majori Conſilio & in magnâ Regiæ Domûs & Franciæ Præfecturâ Medicus ordinarius, necnon Imperialis Naturæ Curioſorum Academiæ Socius.

M. Urbanus de Vandeneſſe.

M. Benjamin-Ludovicus-Lucas de Laurembert.

M. Nicolaus le Roy de Saint Aignan.

Proponebat Pariſiis JACOBUS-LUDOVICUS ALLEAUME, Pariſinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus. A. R. S. H. 1750, à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1750.